

30.

JOVA JUVANTE!
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO VVILHELMO,
Incomparabili Regni Borussici & Electoratus Bran-
denburgici Hærede &c. &c.
DUM
ACADEMIA VIADRINA INTER JUBILA JUBILÆUM
SUUM CELEBRARE MEDITATUR,
CONSENSU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,
PRO
OBTINENDIS IN THEOLOGIA PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS
Sub PRÆSIDIO
VIRI MAGNIFICI, MAXIME REVERENDI
atque AMPLISSIMI
DN. SAMUELIS STRIMESII,
S. S. Theolog. Doctoris & Professoris Ordinar. nec non
Pastoris Primarii. h. t. Pro-Rectoris Universitatis, &
Facult. Theol. Decani Spectabilis,
DE
**UNA, QUAM CRE-
DIMUS, ECCLESIA,**

Die XIX. Aprilis Anno M DCCVI.

H. L. Q. C.

LXV. G. f.

DISPUTABIT

M. JOHANNES DIETERICUS Walther/

Diss. A. Designatus in Academia Regiomontana Theologiae Professor
19 Extraordinarius.

Diss. A. 224 (19)

Francfurti ad Viadrum, LITTERIS, TOBIÆ SCHWARTZII.

PER ILLUSTRI,
GENEROSSISSIMO atque EX-
CELLENTISSIMO DOMINO,
DN. DANIELI
LUDOLPHO,
S. R. I. LIBERO BARONI
de DANCKELMAN,
S. REG. MAJESTATIS IN PRUSSIA
CONSILIARIO STATUS ET REI
MILITARIS INTIMO,
GENERALI RERUM BELLICARUM COM-
MISSARIO,
NEC NON
SUPREMO DIRECTORI RERUM ECCLESI-
ASTICARUM
PRÆSIDI CONSISTORIORUM SUMMO,
DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,



PER ILLUSTRI,
GENEROSSIIMO atque EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO,

DOMINO

RÜTGERO
HENRICO
de ILGEN,

S. REGIÆ MAJESTATIS BO-
RUSSIÆ CONSILIARIO STATUS ET
REI MILITARIS INTIMO,
ÆRARIÆ OFFICIORUM PUBLICORUM DI-
RECTORI GENERALI,


UT ET
NIGRÆ AQUILÆ ORDINIS EQUE-
STRIS SECRETARIO &c. &c.

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,

PER ILLUSTRI,
GENEROSSIIMO atque EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO,
DOMINO
MARQUARDO
LUDOVICO
de PRINTZEN,
AUGUSTISSIMI BORUSSIÆ RE-
GIS CONSILIARIO STATUS
INTIMO,
REGIÆ ARCIS PRÆFECTO,
RERUM FEUDALIUM DIRECTORI,
ComITATUS RUPPINENSIS, PROVINCIAE-
QUE BELLINENSIS PRÆSIDI,
ORDINIS NIGRÆ AQUILÆ BORUS-
SICI, & S. ANDREÆ MOSCOVITICI EQUITI,
HEREDITARIO DOMINO IN MARQUARD
ET SACRO &c.&c.
DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,

*hanc dissertationem Inauguralem, eâ, quâ decet,
submissione sacram facit,*

M. JOHANNES DIETERICUS Walther.



CHRISTO

Unitatis Ecclesiæ Capite ac Duce.

§. I.



SUBJECTI impræsentiarum i.e. ECCLESIAE, de cuius Attributo juxta Symbolum Apostolicum primo, UNITATE scilicet, veram genuinamque acceptiōnem supponimus, ab aliis jam passim indagatam, prolixius explicatamque. Nisi quod silentii peplo involvere haud possumus, Nos de Ecclesia non ratione ESSENTIAE duntaxat, quatenus cœtum internè juxta ac externe Christum profitentium, i.e. cœtum verâ vivâq[ue] fide Christo, ceu Mediatori & Servatori suo adharentium denotat; sed respectu quoque EXISTENTIAE, quatenus cœtum eorundem quidem, at externe duntaxat Christum profitentibus, i.e. verâ vivâque in Christum fide desitutis;

A

com-

commixtum significat, considerata, UNITATEM prædicatam velle; de quâ utilissima, ævô præser-
tim nostrô, Ecclesiæ consideratione dupli, legi me-
retur Magnificus Dominus PRÆSES, PATRO-
NUS ac MECÆNAS studiorum meorum ad
tumbam semper devenerandus, *in ingenua in Armini-
anismum Inquisitione Annotat.* XLII. pag. 256. In quo
significatu & hanc Ecclesiæ vocem toties quoties
præsenti in dissertatione adhibituri sumus.

§. II.

UNAM esse, quam in Symbolo Constantinopo-
litano, Nicæno & Apostolico, non obstante Exem-
plarium Vetustissimorum, posterioribus hisce in duo-
bus Symbolis, UNITATIS omissione, firmiter
credimus ECCLESIA M, sacræ tūm Vet. tūm
Nov. Test. testantur literæ. Cant. VI. 9. hæc Christi,
animæ nostræ Sponsi, verba sunt: *Una est columba mea,*
perfecta mea, una illa matri suæ. Quæ ista una COLUM-
BA? una illa matri suæ? Ecclesia est, Sponsa Salva-
toris nostri mystica, quam ab æterno sibi desponsa-
vit, dicens: *Desponsabo me tibi in eternum, & desponsabo*
te mihi in justitia, & in judicio, & in misericordia, & in
miserationibus. Et desponsabo te mihi in fide & cognosces
Dominum, Of. II. 19. 20. Ita hæc verba dudum ante
Nos interpretati sunt Doctores Ecclesiæ, ex quorum
ordine tantum aliquos in lucem modò producemus
publicam. CASSIODORUS ad h. l. fol. m. 526.
Una est columba mea, hoc est, UNA est Catolica per univer-
suum

sum mundum diffusa Ecclesia. - - UNA est ergo Ecclesia: quia scissuram & schismatam non recipit, sed sicut unus est Deus, una fides, unum baptisma: ita UNA generalis est Ecclesia, que recte & COLUMBA vocatur: quia Spiritus Sancti dote, qui in specie columba apparuit, Christo sponsata & sanctificata est. GREGORIUS MAGNUS ad h. l. fol. m. 1032. Multi fideles, qui in simplicitate permanent, & ab unitate non scinduntur, dum in idipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum, & animam unam in charitate se uniunt, ex multis membris UNUM Corpus efficiunt. Omnesque in UNITATIS simplicitate, & UNITATE viventes, UNA COLUMBA existunt. BEDA ad h. l. Tom. IV. Oper. fol. m. 798. UNA est ECCLESIA, quia divisionem schismatis non recipit. UNA est, quia non alia ante LEGEM, alia sub LEGE, alia sub GRATIA, alia de CIRCUMCISIONE, alia de PRÆPUTIO collecta: sed sicut unus Dominus, una fides, unum baptismum, unus Deus Pater omnium, id est UNA Catholica electorum omnium multitudo per omnia, & mundi loca & tempora seculi, eidem uni Deo & Patri subjecta. PHILO CARPATHIORUM Episcopus in h. l. Tom. IV. Bibl. Mag. Patrum fol. m. 583. UNA est ipsa S. ECCLESIA & fidelis SPONSA, puritate & innocentia vite, morum integritate & castimonia, prudentiam habens celestis sapientiae. JUSTUS ORGELITANUS, Episcopus ad h. l. Tom. VI. Bibl. M. Patrum parte I. fol. m. 516. In electis non diversitas sed unitas commendatur, UNA, inquit, est COLUMBA MEA perfecta. COLUMBA, quia simplex est & spiritualiter sapit. PERFECTA, quia

mundum reliquens, me magis quām temporalia aut se diligit,
 secundūm illud: Si vis perfectus esse, vade & vende
 omnia quæ habes & da pauperibus, & veni & se-
 quere me. Una est MATRIS suæ electa. MATRIS suæ Cœ-
 lestis Jerusalem, de qua Apostolus dicit: Quæ autem sur-
 sum est jerusalem, mater nostra est. UNA est ergo illi,
 quia in fatura beatitudine, ipsa tantummodo consociabitur
 illi. ANGELOMUS ad h. l. Tomo. IX. Bibl.
 M. Patr. part. I. fol. m. 823. Col. I. in princ: Sancta
 Ecclesia universalis per totum orbem UNA EST matri suæ,
 id est, cœlesti Hierusalem, qui est mater omnium nostrum
 unde ad nos gratia Spiritus Sancti descendit, per quam re-
 nascimur Deo. UNA verò dicitur, quia expulsis cunctis re-
 probis, ipsa tantummodo sociabitur Christo. HONORI-
 US Augustodunensis Presbyter ad h. l. Tom. XII.
 Bibl. M. Patrum fol. m. 1152. Col. I. in mediō. Licet tot
 sint REGINÆ in spiritualibus, tot CONCUBINÆ in carnalibus,
 tot ADOLESCENTULÆ in parvulis: tamen ex his omnibus est
 UNA Catholica Ecclesia, quæ est reginarum Regina. UNAM
 in mundo futuram ECCLESIAM cùm EZE-
 CHIEL cap. XXXVII. vers. 22. tūm SALVA-
 TOR hisce prædixit verbis: ἀλλα πρόβατα ἔχω ἀλλα
 ἔσιν ἐκ τῆς αὐλῆς τάυτης. Κάκεινα με δὲ αγαγέν. Καὶ τῆς
 Φωνῆς με ακόσγοι. Καὶ γινήσεται Μία ποίμνη, ΕἼΣ ποίμνην.
 Joh. X. 16. Propter hanc UNITATEM Patrem
 hisce, paulò ante passionem & mortem suam, com-
 pellavit verbis. Pater Sancte, serva eos in nomine tuō, quos
 dedisti mihi: ut sint UNUM sicut nos. Non pro his tamen
 ero tantum, sed etiam pro iis, qui crediderint per verbum il-
 lorum

lorum in me; Ut omnes UNUM sint; Sicut Tu, Pater in me es & ego in te: ut etiam illi in nobis unum sint; ut mundus credat quod tu me miseris. Ego quidem gloriam, quam dedisti mihi, dedi illis, ut sint UNUM sicut nos unum sumus, Joh. XVII. 11, 10, 21, 22. Multi UNUM corpus sumus in Christo, sunt verba Pauli Rom. XII. 5. Consona habet I. Cor. XII. 13. In UNO spiritu nos omnes in UNUM corpus baptizati sumus, Et Ephes. IV. 4. tandem concludit UNUM corpus & unus Spiritus.

§. III.

Hæc ut tantò clariora evadant, aliquantò accuratius in essentiam UNITATIS inquirendum esse, justa requirit methodus. *Omnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione profici:* ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur, inquit CICERO lib. I. Officiorum. Extantiora nobis reliquit ARISTOTELES: ὅταν δὲ γνόντες τὸ εἶναι, πάλιν ζητῶμεν τὸ τι εἶναι si quando intelligimus rem esse, quid ipsa sit, postea querimus, sentit PRINCEPS PHILOSOPHORUM 2. Post. I. al. 2. Idem hoc repetit I. Prior 2. I. Prior 27. I. Top. cap. 3. I. de anima tex. II. 2. Met. cap. 3. Causam mentis & sententiæ suæ ponit lib. 8. Top. cap. 3. Profectò, inquit, difficilis est omnis disputatio, nisi id de quo ea instituitur, recte ab initio definatur. Qua de causa notandum, UNUM, esse, εἰ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, quæ multifariam dicuntur, Lib. V. Met. Cap. VI. Non recensebimus hīc omnia ejus significata, sed ea solūm, quæ ad proposi-

tum nostrum faciunt. *UNUM* ea dicuntur, que unâ eâdemq; DEFINITIONE comprehenduntur, quemadmodum ea multa sunt, quorum diversæ dantur definitiones τὰ δὲ πρώτως λεγόμενα ἔν, ὡν η̄ σοία μία, μία δὲ η̄ συνεχία, η̄ εἶδος, η̄ λόγω. Καὶ γὰρ αριθμόμενως πλέιω, η̄ τὰ μη̄ συνεχῆ, η̄ ὡν μη̄ ἐν τῷ εἴδος, η̄ ὡν ο̄ λόγος μη̄ εἰς. Que primò unum dicuntur, illa sunt, quorum substantia una: una verò aut continuatione aut specie, aut ratione. Numeramus etenim tanquam plura, aut que non continua sunt, aut quorum species non est una, aut quorum ratio non est una. Hoc unius genere unum sunt Plato & Socrates, uterque namque homo, uterque eâdem gaudet definitione. Non enim aliter Plato, & aliter Socrates definiuntur, hincq; Aristoteles Lib. III. al. IV. Met. Cap. IV. ‘Εν γὰρ ἔθασ ὡν ο̄ λόγος εἰς, illa sunt unum quid, quorum definitio una. NUMERO aliquid *UNUM* dicitur, quod sub specie aliqua continetur, & in plura talia dividi simpliciter nequit, ut hic homo v. c. Petrus, Johannes &c. item hæc arbor, hic Canis &c. quæ omnia nec in plura talia dividi, nec de pluribus κατὰ φύσιν dici aut prædicari apta sunt, nisi quod de Semetipfis solum dicantur, hinc & definiuntur: quæ suā naturā subjici quidem, non autem prædicari apta sunt Porphyr. Inst. cap. I. Hoc ipsō genere differunt, utpote quod non κατηγόρημα sed κατηγορήμενον est, de pluribus specie differentibus in quid est. Lib. I. Top. 4. *UNUM* dicuntur, qui aliquid unum aut agunt, aut patiuntur, aut habent, vel possident. Quō sensu mutui possessores unius agri, vel plurimi eôdem colore imbuti, vel multi eandem artem callentes,

& ex-

& exerceentes, unum quid nuncupari solent. Hæco-
mnia benè quadrant in Ecclesiam. Ea siquidem U N A
est DEFINITIONE, quia eòdem definiuntur modò
Ecclesiæ tùm Orientales, tùm Occidentales, tùm Au-
strales, tùm Septentrionales, quod sint COETUS HO-
MINUM VOCATORUM AMPLECTEN-
TIUM VERBUM DEI, ET RECTE U-
TENTIUM SACRAMENTIS. Una &
NUMERO est Ecclesia. Neque contrarium mul-
titudo & varietas Ecclesiarum per orbem terrarum
dispersarum suadet; illæ namque omnes simul sum-
ptæ, unius Ecclesiæ sunt membra, unumque Ecclesiæ
Catholicæ constituunt corpus. Quid? Nonne Ecclesia
est corpus Christi? Ephes. IV 11. & seq. Idem verò dedit
alios quidem Apostolos; alios verò Prophetas; alios verò Evange-
listas; alios verò Pastores & Doctores. In instaurationem san-
ctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi:
usque dum perveniamus omnes in unitatem fidei, & cogni-
tionis Filii Dei, in virum perfectum in mensuram etatis ple-
nitudinis Christi: ut non amplius simus infantes, fluctuan-
tes & circumlati omni vento doctrinæ, per defraudationem
hominum & astutiam, ad ambages erroris. Contra sine
foco existentes in dilectione crescamus in ipsum quoad o-
mnia, qui est Caput, Christus: Ex quò totum CORPUS probè
coagmentatum & coherens per omnes juncturas subministra-
tionis juxta efficaciam in mensurâ unius cuiusque partis, au-
gmentum corporis faciat, in ædificationem sui ipsius in dilec-
tione. Et Coloff. II. 19. Et non tenens caput, ex quò to-
sum CORPUS per juncturas & vincula, subministratum & com-
pactum

pactum crescit in augmentum Dei. Conf. Rom. XII. 1.
I. Cor. VI. 15. Cap. X. 17. Cap. XII. 13. & 27. Eph. I.
23. Cap. V. 23. & 30. Col. I. 18. & 24. Cap. III. 15.

§. IV.

Jam ut CORPUS unum plura habet MEMBRA,
quæ ad unius hominis υφισμενον concurrunt : sic
credentes , licet multi sint , tamen unum constituunt
CORPUS in Christo , Rom. XII. 4, 5. *Quemadmodum*
enim in uno CORPORE membra multa habemus, membra autem
omnia, non eandem habent operationem: ita, qui multi, u-
num CORPUS sumus in Christo, unusquisque vero invicem
MEMBRA. I. Cor. XII. 12. *Et quemadmodum CORPUS unum*
membra habet multa: omnia vero MEMBRA corporis unius,
licet multa sint, unum CORPUS sunt, ita etiam CHRISTUS.
Assimilatur haud raro ECCLESIA CIVITATI, Cant.
III. 2. *Surgam & circumibo CIVITATEM,* Apoc. XI. 2. *CIVI-*
TATEM sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus, Cap.
XX. 9. *circumiverant Castra Sanctorum, & CIVITATEM*
dilectam. Civitas autem una manet, licet multis diver-
sisque abundet civibus sibi invicem auxiliatrices por-
rigentibus manus. Pari modò Ecclesia civitas Dei
una est & existit, licet in ea multi deprehendantur
συμπολίται τῶν ἀγίων καὶ ὄικεῖοι τῆς θεᾶς, CONCIVES sanctorum
ac domestici Dei, Eph. II. 19. Huc pertinent libri
AUGUSTINI de Civitate Dei, in quibus Ecclesiam
describit ut CIVITATEM DEI, ad quam perti-
nere dicit omnes fideles quocunque mundi tempore
vixeré, vivunt, aut vieti sunt. Ab hac distingvit
CIVI-

CIVITATEM SECULI, ad quam omnes reprobos
sive non sanctos reducit. Utriusq; Civitatis principium
in ABELE & CAINO ibidem constituit Augustinus.

§. V.

Tandem in libris sacris Ecclesia haud infrequenter salutatur titulô DOMUS, cuius FUNDAMENTUM Christus, OSTIUM fides, PARIETES fideles, COEMENTUM charitas, CUSTODES Concionatores. Hæc est ea, quam *Sapientia edificavit sibi DOMUM, excidit columnas septem, Proverb. IX. 1.* Sic & Davidi in Psalmis audit: *Unum, inquit, petui à Domino, hoc unum queram, ut maneam in DOMO Domini Psal. XXVII. 4. & Psal. LXXXIV. 5. Beati, qui habitant in DOMO tua, Domine!* Sic angelo apud Lucam: *Regnabit in DOMO Jacob in eternum Luc. I. 33.* Sic Paulo ad Timotheum I. Tim. III. 15. *Ut scias, quomodo oporteat in DOMO Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei viventis.* Similiter Petro: *Ipsi tanquam lapides vivi superedificamini DOMUS spiritualis, I. Petr. II. 5.* Elegantissime hoc Ecclesiæ epitheton gentium Doctor, comparandô cum Mose Christum, ita παπαΦράγει: *Christus Pontifex nostræ confessionis fidelis est ei, qui fecit illum, sicut & Moses in omni DOMO ejus.* Tantò enim majoris *HIC præ MORS gloriae dignus habitus est, quantò majorem honorem habet, quam DOMUS, is qui preparavit illam.* Omnis namque Domus preparatur ab aliquo: *is verò, qui preparavit omnia, Deus.* Et Moses quidem fidelis in tota DOMO ejus, ut servus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant. *Christus autem, tanquam filius super DOMUM suam: cuius DOMUS*

B

MUS

MU S sumus NOS , si quidem confidentiam & gloriacionem
 spei usque ad finem firmam retinuerimus Ebr. III. 2. 3. 4.
 Et Cap. X. 21. CHRISTUS est Sacerdos magnus super DOMUM Dei. Quocirca ad CHRISTUM optimè istud
 congruit: Ipse edificabit DOMUM nomini meo 2. Reg. VII.
 13. Ecclesiam videlicet, quæ Domus Symbolo sæpè in
 paginis sacris, ut vidimus, exprimitur. At in Do-
 mo diversæ nobis sece offerunt Societates simplices;
HERILIS, inter Dominum, servum & ancillam;
CONJUGALIS, inter marem & fœminam. PA-
 TERA, inter Parentes & liberos, quæ tantum
 abest, unitatem domus ut impedian, subruant, ac
 tollant, quin eandem potius suffulciant erigantq; cùm
 ex hisce societatibus simplicibus exsurgat domus, quæ
 inter SOCIETATES composita, omnium prima est &
 simplicissima. Hanc definit Aristoteles Lib. I. Polit. Cap.
 II. DOMUS est societas naturalis in omnem diem constituta.

§. VI.

Idem de ECCLESIA, DOMO DEI VIVENTIS
 ferendum judicium. Particularium etenim Ecclesia-
 rum, hinc inde plantatarum atque fundatarum cœtus
 non obstant, quò minus Ecclesia Christi pro una sit ha-
 benda. Verè aureis verbis hanc unitatem describunt
 Patres. CYPRIANUS lib. de Unitate Eccles. Cathol.
 fol. m. 180. & 181. Ecclesia UNA est, ait, quæ in multitudinem
 latius incremento fœcunditatis extenditur: quò modo solis multi
 radii, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum
 tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivi, plurimi
 defluunt, numerositas liceat diffusa videatur exundantis copia
largo.

largitate, unitas tamen servatur in origine. A velle radium
 solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore
 frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præ-
 cinderivum, præcisus arescit: sic & Ecclesia Demini luce per-
 fusa per orbem totum radios suos porrigit, VNVM tamen lu-
 men est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separa-
 tur: ramos suos in universam terram copiæ ubertatis exten-
 dit, profluente largiter rivos latius expandit: VNVM ta-
 men Caput est, & origo VNA, & VNA mater, fæcundi-
 tatis successibus copiosa. Illius FOETU nascimur, illius LACTE
 nutrimur, SPIRITU ejus animamur. CHrysosto-
 MUS Hom. I. in I. ad Corinth. Si Ecclesia Dei est, u-
 nita & VNA est, non tantum Corinthi, sed etiam in uni-
 verso terrarum orbe. Ecclesia enim nomen non segregati-
 onis, sed unionis & consensus nomen est. Et quibusdam
 interjectis: Ecclesiam per universum orbem dispersam V-
 NAM esse oportet, quamvis MULTIS LOCIS separata & distin-
 citasit. Quamvis autem locus separet, Dominus tamen eos con-
 jungit. - - - Qui in diversis locis sunt, si non diversos habe-
 ant Dominos, sed unum tantum, locorum intervallis consen-
 sum lædi non sentiunt, unicò Domino eos conjungente. Et
 Hom. CXLIX. Tom. V. Ecclesiae, que in urbibus &
 agris sunt, quamvis multæ sint NVMERO, VNAM consti-
 tuunt Ecclesiam, unus enim ubique in iis Christus, perfectus,
 & individuus. BASILIUS M. Epist. CCCXCIII.
 Unus populus omnes, qui in Christum sperant, & VNA Ec-
 clesia, qui Christi sunt, quamvis ex DISTINCTIS LOCIS appel-
 letur. THEODORETUS Hist. Eccles. Lib. I. Cap. IX,
 ex Epistola Constantini M. ad absentes Episcopos

sequentia citat: *VNAM esse Catholicam Ecclesiam suam voluit Deus; cuius membra multis licet diversisque maximè locis dispersa sint, VNO tamen spiritu, hoc est, divinâ voluntate foventur.* THEOPHYLACTUS in I. ad Cor. Cap. I. *VNA ECCLESIA sunt OMNES FIDELES UBICUNQUE tandem sint.*

§. VII.

UNA est ECCLESIA quia membra illius variis calamitatibus, tribulationibus, horrendis imprimis persecutionibus Tyrannorum, Hæreticorum ac Schismatistarum vexantur. Flebilem hujusmodi miserumque in Christianis primitivæ Ecclesiæ, sub Imperatoribus Ethniciis, deprehendimus statum; quotidie certè, in publicis & privatis conventibus, persecutionibus proditionibusque expositi erant, leonibusvè sine ulla commiseratione, quod omnis mali cladisque essent autores, projiciebantur. Quotidie obsidemur, quotidiè prodimur, in ipsis plurimum cœtibus & congregacionibus nostris opprimimur, sunt verba TERTULLIANI in Apologetico Apol. contra Gentes Cap. VII. fol. m. 8. & Cap. XL. fol. m. 32. Existimant omnis publice cladi, omnis popularis incommodi CHRISTIANOS esse causam. Si TIBERIS ascendit ad mœnia, si NILUS non ascendit ad arva, si COELUM stetit, si TERRA movit, si FAMES, si LUES, statim CHRISTIANOS AD LEONEM, tantos ad unum? Ex solo erga Christianorum NOMEN, quod se à Christo Christianos appellarent, odio, inauditâ damnabantur causâ. Tertullianus loc. cit.

cit. Cap. I. fol. m. 2. Hanc itaque primam causam apud nos collocamus iniquitatis odii erga NOME N Christianorum. Et Cap. II. fol. m. 23. Si certum est, NOS nocentissimos esse, cur à vobis ipsis aliter tractamur, quām pares nostri, id est, ceteri nocentes, cùm ejusdem noxietatis eadem tractatio debet intervenire? Quodcunque dicimur cum alii dicuntur & propriō ore, & mercenariā advocatione utuntur ad innocentiae suae commendationem, respondendi, altercandi facultas patet, quando nec liceat indefensos & inauditos omnino damnari. Sed CHRISTIANIS solis nihil permittitur loqui, quod CAUSAM PURGET, quod VERITATEM DEFENDAT, quod JUDICEM NON FACIAT INJUSTUM, sed illud solum expectatur, quod odio publico necessarium est, CONFESSIONIS NOMINIS, non EXAMINATIO CRIMINIS, Et multis interjectis eodem Capite: fol. m. 4. scitis quod à vobis excludamur, non SCELVS ALIQVOD in causa esse, sed NOMEN; -- Christianus, si nullus criminis NOME est, valde ineptum, si solius NOMINIS crimen est. Quid? quod ita plerique clausis oculis in odium ejus impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes, admisceant NOMINIS exprobrationem, bonus Vir Caius Sejus tantum quod CHRISTIANVS. Item aliis. Ego miror Lucium sapientem virum repente factum Christianum. Et Cap. III. fol. m. 5. At nunc utriusque inquisitione & agnitione negligētā, NOME detinetur, NOME expugnatur, & ignorantiam sectam, ignotum & Authorem VOX SOLA predammat, quia nominantur, non quia revincuntur. Conf. ejusdem Lib. I. ad Nation. Cap. III. fol. 42. & Cap. IV. fol. m. 43. De Martyrum cruciatibus, persecutionibusque

Ecclesiæ primitivæ, quæ oīnnia modò de industria
non tangimus, evolvendi SAGITTARIUS &
KORTHOLD, qui libri lectu sunt dignissimi.

§. VIII.

Gravissimis hisce persecutionum, hinc inde agitata, procellis premebatur, sed non opprimebatur Ecclesia Christi una. Etsi maximè TERRA loco suō moveatur, etsi MONTES ipsi in medium maris præcipitentur, etsi tremant in summitate sua, etsi fremant ORBIS & ORCUS, & Ecclesiæ & puriori Religioni si jugulum petat Cacodæmon: *Deus tamen nobis refugium & robur; auxilium in angustiis inventus valde. Propterea non timebimus, cum mutabitur TERRA, & cum movebuntur MONTES in corde marium. Tumultuabuntur turbabuntur aquæ ejus; contremiscerent montes in exaltatione ejus. Selah. FLUVIUS cuius rivi lætificabunt urbem Dei Sancti habitationum Altissimi. Deus in medio ejus; non dimovebitur: adjuvabit eam Deus, cum respicit matuta. Tumultuentur gentes, commovereant se regna: dederit vocem suam, liquefcet terra. DOMINUS ZEBAOTH nobiscum, refugium nobis Deus Jacobi, Selah. Sic exultare poterat cum Eccle. V.T. Christi Nova, ex Psal. XLVI. 2. & seq.* Sic ergo Dei nostri præsidiō freta Ecclesia, contra omnes tempestates fævisimas inconcussa præstítit: pressa non unquam, PALMÆ instar in altum sese contra pondus erexit, deque hostibus suis PRECIBUS & LACHRYMIS, inexpugnabilibus hisce Ecclesiæ armis, ex S. Sancti armamentario depromptis, gloriosissimas subinde reportavit victorias. *Arma militie nostræ non sunt carnalia, sed que sunt POTENTIA*

TIA

TIA DEO, ad demolitionem munitiōnum consiliōrum omnisq;
 celsitudinis, quæ extollitūt adversus cognitionem Dei, inquit
 experientiā doctus Paulus 2. Cor. X. 3. 4. Sicut is, qui
 super petram sedet excelsam, fluctus ridet, quos impetu
 magnō ad petram rumpere, inq; spumam solvi, videt:
 ita ECCLESIA, CUI NEC PORTÆ INFER-
 NI PRÆVALENT, persecutores suos altō de-
 spexit supercilio SUPER PETRAM FIRMI-
 SIMAM FUNDATA, Matth. XVI, 18. Terra
 vomere scissa, majores uberiōresque fert fructus, gra-
 na concredita cum fœnore reddens, quam si inculta
 jaceat: similiter Ecclesia persecutionum tyrannide
 acerrimē laniata, Martyrum Christianorumque tur-
 bām produxit innumerabilem, TORMENTIS
 crevit, MARTYRIIS coronata est; sanguine ef-
 fusō cæforum corporum novæ in Ecclesia irrigaban-
 tur emergentes in dies plantæ. Verè proinde TER-
 TULLIANUS Cap. ult. Apolog. contra Gentes
 scripsit: *Plures efficiuntur quoties METIMUR à vobis, SE-
 MEN est SANGVIS CHRISTIANORUM.* Et Leo
 M. serm. I. in Natali Apost. Petri & Pauli fol. m. 79.
*Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur & semper
 dominicus AGER SEGETE DITIORI VESTITUR,
 dum GRANA, quæ singula cadunt, MULTPLICATA
 nascuntur.* URSA MINOR indefinitē supra Ho-
 rizontem vertitur, sed nunquam occidit; easdem vi-
 res deprehendit GREGORIUS M. in Ecclesia,
 pluribus quidem calamitatibus impedita, nunquam
 tamen obruta. ARCTURUS inquit, *semper VER-*

SATUR

100

SATUR & nunquam MERGITUR, quia & sancta Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine DEFECTU perdurat, Lib. IX. Moral. Cap. VI. fol. m. 235. Vide Alexandri Episcopi Alexandrini Epistolam ad Alexandrum Constantinopol. Episcopum, quam refert THEODORITUS Lib. I. Hist. Eccles. Cap. IV. fol. m. 18. ubi Ecclesiam semper INEXPUGNABILEM, VICTRICEMQUE OMNIUM HÆRETICORUM existere, docet.

§. IX.

UNA quoq; ECCLESIA est propter spiritualem unitatem, UNUM agnoscens DEUM PATREM, FILIUM & SPIRITUM SANCTUM, quem cultu religioso indesinenter veneratur. UNUM habens Redemptorem & mediatorem Dei & hominum, HOMINEM Christum Jesum, 1. Tim. II. 5. qui EAM dilexit & sanguine suo lavit à peccatis, Apoc. I 5. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro illa. Ut sanctificaret illam, & mundaret lavacro aquæ in verbo, ita ut sisteret sibi ipsi splendida Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam talium: sed ut sit sancta & irreprehensibilis, Ephes. V. 25, 26, 27, 28. UNUM habens Spiritum Sanctum ILLUMINANTEM, Ephes. I. 17. 1. Joh. II. 20, 27 SANCTIFICANTEM, 1. Cor. VI. 11, IN OMNEM VERITATEM DUCENTEM, Joh. XVI. 13. REGENERANTEM, Joh. III. 5. RENOVANTEM, ezech. XXXVI. 25. CONSOLAN-

SOLANTEM, Joh. XIV. 26, XV. 26; ARRHABONEM hæreditatis nostræ subsecuturæ, eph. I. 14. Idem habens EVANGELIUM i. Corinth. cap. I. 10. Rom. XV. 5. Rom. XVI. 26. Gal. I. 8. Jud. vers. 3. 2. Theff. II. 14. 2. Corinth. V. 14. EADEM habens SACRAMENTA, in quibus Deus cum visilibus signis, suam gratiam, Spiritum S. remissionem peccatorum, vitamq; æternam gratiōsē nobis exhibit & obsignat, Matth. XXVI. 28. Marc. XVI. 16. Baptismum scilicet & Cœnam Dominicam i. Corinth. XII. 13. Gal. III. 27. Rom. VI. 3. i. Corinth. X. 17. UNAM agnoscens CIVITATEM DEI VIVENTIS, fundamenta habentem, cuius artifex & Conditor Deus, ebr. XI. 10. & XII. 22. cuius concives nos Christus sangvine suō constituit, Johān. X. 28. Cap. XIV. 6. Rom. VI. 23. i. Theff. V. 9, 10. UNAM habens FIDEM in Deum Patrem, Filium & Spiritum S. Ipsa etenim est VINCULUM, quō credentes inter se constringuntur, suoque sponso CHRISTO solūm, non PONTIFICI ROMANO, tanquām Christi in hisce terris Vicario infallibili, ut Throni Papalis acerrimi defensores, Bellarminus Lib. III. de ecclesia cap. V. Lib. III. de Conciliis cap. II. nec non Francisc. Costerusin Enchiridio de ecclesia pag. XCII. ineptè fingunt, quam arctissime cohærent atque copulantur. Eò tendunt verba Pauli ad eph. Cap. IV. 4, 5, 6. ἐν σῶμα καὶ ἐν πνεύμα καθὼς καὶ ἐκλήθητε ἐν μίᾳ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν. εἰς κύριος, μίᾳ πίσις, ἐν Βάπτισμα. εἰς θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, οὐ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ὑμῖν. Unum Corpus ē n-

C

nus

ius spiritus, quemadmodum etiam vocati estis in una spe vocationis vestra. Unus Dominus, una fides, unum baptismum. unus Deus & Pater omnium, qui super omnia, & per omnes, & in omnibus. Indeque membra corporis Christi appellamur, ex carne ejus & ossibus ejus, Ephes. V. 30. Siquidem communem cum ipso naturam humanam, seu carnem & ossa habemus: &, ut cum capite conjuncta sunt reliqua membra nostra per vinculum animæ; sic & fideles cum Christo conjuncti per vinculum fidei, & Spiritus S. gratiosè in Christo & in nobis habitantis.

§. X.

UNITATEM ecclesiæ in FIDE una consistere, nos quoque docet Salvator, dicens: *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam*, Matth. XVI. 18. Quæ est ista Petra, cui Dominus ecclesiam suam superstruxit? est FIDES seu CONFESSIO, quam Petrus de Christo ediderat, dicens: *Tu es Christus, ille filius Dei viventis.* l. cit. vers. 16. Unde & FIDES dicitur, **CINCTORIUM RENUM** ejus, Esa. XI. 5. Et populus ejus servans FIDEM, Cap. XXIV. 2. Ipse despontavit sibi credentes in FIDE, Of. II. 20. *Justus in FIDE sua vivit*, Hab. II. 4. Rom. I. 17. Galat. III. 13. Ebr. X. 38. *sine FIDE impossibile est Deo placere, credere operari et accedentem ad Deum*, Ebr. XI. 6. Quid clarius hisce Salvatoris? Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui CREDIT in ipsum, non pereat,

pereat, sed habeat vitam eternam. Joh. III. 16. Et Apo-
stolos mittens ad prædicandum Evangelium, dicebat,
qui CREDIDERIT & baptizatus fuerit salvabitur: qui
verò non crediderit condemnabitur, Marc. XVI. 15. Idem
priscæ ecclesiæ Lumina inculcant. IRENÆUS post-
quam. lib. I. adv. Hæreses cap. 2. fol. m. 50. dixisset:
Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata,
& ab Apostolis & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ
est in unum Deum Patrem omnipotentem, - - Et in unum
*Jesum Christum Filium Dei, - - - Et in Spiritum San-
ctum, - - - Hæc Capite III. fol. m. 52. subjicit:*
acceptam hanc prædicationem ac EIDEM, Ecclesia, tametsi
per totum terrarum orbem sparsa, summò studio & curâ per-
inde atque UNAM DOMUM incolens, conservat, ac velut
animam unam atque unum idemque cor habens, his æque
FIDEM accommodat, & mirò consensu quasi uno ore prædicta,
hoc prædicat, docet ac tradit. Et quibusdam interjectis
Nam cùm VNA atque EADEM FIDES sit, nec qui de eâ
uberrimam orationem habere potest, exuberat: nec qui pauca
babet quæ dicat, eam imminuit. HILARIUS Lib. VI.
de Trinitate. Petrus dixit: Tu es filius Dei vivi, super
hanc confessionis Petram Ecclesiæ edificatio &c. - - Hæc
FIDES Ecclesiæ est fundamentum; per hanc FIDEM infir-
me adversus eam sunt portæ inferorum. Hæc FIDES
regni cœlestis habet CLAVES. - - Hæc revelatio Patris est,
hoc Ecclesiæ fundamentum est, &c. GREGORIUS
NYSENUS in opere de adventu Domini. Ipse
Dominus ait ad Principem Apostolorum, tu es Petrus, & super
hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, super CONFESSIO-

NEM videlicet Christi, quia dixerat: tu es Christus Filius Dei viventis. AMBROSIUS Lib. VI. super Lucam Cap. IX. Fundamentum Ecclesiæ FIDES est. CHRYSOSTOMUS Homil. LV. in Matthæum: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, FIDEM atque CONFESSIONEM. HIERONYMUS in Ps. CXXXIII: Ecclesia non in PARIETIBUS consistit, sed in DOGMATUM VERITATÆ, Ecclesia ibi est, ubi FIDES vera est. CYRILLUS ALEXAND. Lib. IV. in Esaiam: Orat. II. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, petram opinor vocans immotam fidem discipuli. AUGUSTINUS serm. XIII. de Verb. Dom. secundum Matth. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram, quam cognovisti dicens, Tu es CHRISTUS Filius Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam, super ME ædificabo TE, non ME super TE. Similia leguntur Tract. XXIII. in Johannem. Conferantur ad hæc HILARIUS PICTAVIENSIS, Lib. II. de Trinit. TERTULLIANUS lib. de Præscriptione adversus Hæreticos. THEODORETUS in I. Corinth. 3. GREGORIUS lib. XXVIII. Moralium cap. VI. Plura nec addimus, nec citamus Patrum testimonia: expetentem remittimus ad LAUNOJI Epist. VII. part. V. fol. m. 422. & seq. ubi per omnia secula, usque ad seculum XVI. inclusivè probat, super Petram, id est super illam FIDEM, quam confessus est Petrus, ædificatam esse Ecclesiam.

S. XI.

At unius Ecclesiæ membra cum Christo ut Sponsor, non quæcunque unit fides, vel historica, quam Dæmonia

monia & habent, & horrescunt. Jacob. II. 19. sed fructuosa per opera Christianorum sese exserens, indissolubili firmoqve cum illis vinculô constricta fides. Ubi illa, ibi sincera *charitas*, Gal. 5. 6. ibi *opera bona*, Jacob. II. 14. Nec fieri potest, ut fides sit sine bonis operibus, quemadmodum corpus animatum non est, nec motum, nec sensum, nec vitam habens, bonisque destitutum operibus, Jacob. II. 26. LEA, ut FOECUNDA fuit progeneratione prolium Gen. XXIX. ita vera unius Ecclesiæ membrorum fides operibus FOECUNDA. Nam *fides sine operibus mortua est*. Jacob. II. 3. Indeque assimilatur Ecclesia Christi una non solùm uni *Vineæ*, Es. IV. uni *Domo*, I. Tim. III. 15. uni *Ovili*, Joh. X. sed uni & HORTO Cant. IV. 12. cuius VINEATOR Pater Joh. XV. I. FLUVIUS IRRIGANS dona Spiritus Sancti varia, *charitas SEPES*, *Sancti FLORES*, ZIZANIA Heretici, ARBORES denique Christiani. Hos Propheta expressè arbores justitiae nominat. Es. LXI. 3. Ita & Christus: *Quaecunq; ARBOR non fert fructum bonum &c.* Matth. VII. 19. Hæc arbor licet à BEDA & AUGUSTINO Enchirid. Lib. I. cap. XV. de *voluntate*, à TERTULLIANO verò de *fide* explicantur, nihilominus tamen aliorum Patrum de *homine Christiano arbore* hunc interpretantium arridet Nobis sententia, quia *hi* possunt in ignem abjici, non *fides*, nec *voluntas*. Benè proinde haec tenus dicta enodavit GREGORIUS MAGNUS, in Cant: IV. *Hortus*, inquit, *Sancta Ecclesia existit, quia dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros, bona terra emittit: qui hortus*

clausus bene dicitur, quia charitatis vallo undiquaque munitur,
 ne intra numerum Electorum reprobus aliquis ingrediatur.
 Verum enim verò in arboreto, quem fugit, arbores
 fructiferas fructibus semper vestiri pulcherrimis? Si-
 militer in mystico Ecclesiæ horto etsi fructibus, verius
 tamen dixero, foliis umbriferis operum hypocritarum,
 Phariseorum ad instar Matt. XXIII. ornatæ reperiantur
 arbores quædam, de quibus Syrach: ne simulatus es, ut
 ora humana habeas, & labiis tuis ne adhære. Nam revelaturus es
 se Dominus omnia occulta tua & in medio congregationis deje-
 turus te. Cap. I. 33-35. Et hoc meritò. Poma ad mare
 nascuntur rubella, at tactu in fumum tetrum solvun-
 tur: sic opera Hypocritarum. Illa certè, nil nisi num-
 mi adulterini, ænei sed inaurati. Statua sunt Na-
 buchodonosoris, cuius facies aurea, pectus verò æ-
 neum, Dan. XXIII. Nihilominus tamen plurimæ in-
 veniuntur in horto hoc steriles, de quibus quere la-
 Jeremiæ: Non est uva in vitibus, non sunt fucus in fculnea,
 folium defluxit Cap. VIII. 13. Hanc, subseqvitur sententia
 Christi decretoria, EXSCINDITE EAM. Quæcumq; ar-
 bor non fert fructum bonum, excindenda Matth. VII. Genuina
 e contrario Christi membra fructiferarum instar arbo-
 rum ad rivos aquarum plantatarum, quò fructum
 suum in tempore suo ederent Psalm. I. 3. charitatis,
 gaudii, pacis, benignitatis, lenitatis, bonitatis, fidei,
 continentiae & SANCTITATIS fructus dedie in diem
 protrudunt Gal. V. 22. Qui secundum propositum vocati, sunt
 sancti Rom. VIII. Eandem hanc sanctitatem ab omni-
 bus unius Ecclesiæ membris requirit Petrus: In omni con-

ver-

versatione sancti sitis quoniam scriptum est: Sancti eritis,
 quoniam ego sanctus sum I. Petr. I. Et hoc jure qui-
 dem: Hec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut ab-
 stineatis vos à fornicatione I. Tim. IV. Ita fore prædi-
 cuim: Eritis mibi in regnum sacerdotale & gens sancta Ex-
 od. XIX. Devt. XXVI. Indeque hæc Ecclesiæ u-
 nius nomenclatura profecta: sanctificati in Christo Jesu,
 Rom. VIII. Concilium sanctorum, Psalm. LXXXIX. 8.
 Tabernaculum à Deo sanctificatum Psalm. XLVI. 8. populus
 acceptabilis Tit. II. 14. Sacerdotium Sanctum, gens sancta
 I. Petr. II. 5. Pro hac sanctitate apud Patrem suum
 ita oravit Christus: Pater sanctifica eos in veritate. Et
 pro iis sanctifica me ipsum, ut sint ipsi sanctificati in veritate.
 Joh. XVII. Oravit inquam & exauditus pro reve-
 rentia sua impetravit, quæ petiit: Jesus, ut sanctifica-
 ret per suum sanguinem populum, extra portam passus est Ebr.
 XIII. Ibique semet ipsum tradidit pro ea Ecclesia, ut illam
 sanctificaret &c. ut sit SANCTA & IMMACULATA Ephes. V.

§. XII.

Itaque Ecclesia non minus in Sanctitate quam
 in fide, Una est, istâ pariter atque hac, ad omnia o-
 mnino Ecclesiæ, in essentia sua spectatæ, membra,
 sese perinde extendente. Quid quod etiam in Ec-
 clesiam, quæ Existentiæ, consideratam, Sanctitas
 quædam competit, cum D'OMINO PRÆSIDE,
 Institutionis, nuncupanda, cuius itidem respectu, Ecclesia
 UNA dici meretur: Ita enim VIR PLURIMUM VE-
 NERANDUS: Sancta, inquit, Ecclesia universa, etiam quæ
 existen-

istentiam, jure meritoque audit, SANCTITATE INSTITUTIONIS (1.) quia omnes in Ecclesia viventes, evocati ex reliquo mundo, & per baptismum, uti ab aliis separati, ita quodammodo sanctificati sunt, Christumque induerunt. (2.) Omnes Christianismus profitentes ad internam sanctitatem sese obligarunt. (3) Omnes sanctificatis salutis mediis in Ecclesia fruuntur. (4.) Omnes per eadem media ad sanctitatem manducuntur, Ingenuâ in Arminianisimum Inquisit. pag. 262. in fine.

§. XIII.

Porrò, UNA est ECCLESIA, quia Deus implevit eam omni gaudio & pace. Rom. XV. 13. Est Deus noster, Deus PACIS. I. Cor. XIV. 33. II. Cor. XIII. II. I. Thess. V. 23. II. Thess. III. 16. Ebr. XIV. 20. Mundi ante Messiam fuit Ægyptus persequens, terra dehiscens, merus campus bellorum. Bella undique, & undique bella. BELLUM Deum inter & hominem omnia perdebat. COELUM, fulmina, pluvias, sulphureas, diluvia iram & justitiam promittebat. TERRA, spinas, idololatriam, parricidia, dissidiaque seminabat. HOMO carnis & Spiritus pugnas producebat. Hinc Suspiria Patriarcharum; hinc vota sacrorum Vatum: *Fiat Pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis Psalm. 121.* Tandem promissio facta: *Orietur in diebus justitiae ejus & abundantia PACIS Psal. 71. Psal. 84. II.* At promissionem hanc Christus exoptatisimâ suâ præfentiâ gratiosè impletivit, impletam nobis per mortem & passionem omnianam

mnia pacandô communicavit. *NOBIS est pax per Dominum nostrum Jesum Christum* inquit Paulus Rom. V. *Ipse PAX NOSTRA qui fecit ex ambabus unum Eph. II. 14.* Ita fore prædixerat Christi Patruelis, indeque nomen Messiæ שָׁלֹשׁ Princeps Pacis Esa. IX. 6. Ea de causa vix dum nato in Bethlehem mundi Servatori à cœlesti militia occinitur: *in terra PAX* Luc. II. 14. Necessum proindè, ut genuini filii Dei, viva-que Ecclesiæ unæ membra Patris cœlestis, suique Redemptoris vestigia legentes, unitatem concordiam & *PACEM*, ad quam à Deo sunt vocati, 1. Cor. VII. 15. exosculentur, venerentur, ambabusque amplectantur manibus. Nonne *Christus nobis reliquit exemplum*, ut vestigiis ejus insisteremus? 1. Petr. II. 21. Et quid, quæso, Deus à nobis magis in verbo suo quam pacem requirit? dicens: *diligite veritatem & PACEM*, Zach. VIII. 19. *si possibile, quantum ex vobis, cum omnibus hominibus PACEM colite*, Rom. XII. 18. *studete servare unitatem spiritus per vinculum PACIS*, Ephet. IV. 3. *PAX Dei imperet in cordibus vestris*, Coloss. III. 15. *Persequere justitiam, fidem, charitatem, PACEM cum iis, qui invocant Dominum ex puro corde*. 2. Tim. II. 22. *Querito PACEM, & persecutor eam*, 1. Petr. III. 11. *operam date, ut immaculati, & irreprobenses ab ipso inveniamini in PACES*, 2. Petr. III. 14. *PACEM persecutimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum*, Ebr XII. 14. *Fructus justitiae in PACES seminatur, facientibus PACEM* Jac. III. 18. Quæ Scripturæ Sacrae dicta clarè atque, apertè, unitatem & pacem, quam Dominus passus

D

rus

rus & cœlum ascensurus nobis reliquit, commen-
 dant. *Pacem meam*, inquit, *relinquo vobis, PACEM me-*
am do VOBIS, non sicut mundus dat, ego do vobis, Joh.
 XIV. 27. Etenim particeps divinæ charitatis esse
 non potest, qui est hostis unitatis. Quapropter tali
 vinculō pacis & charitatis constrictæ erant totius
AACHAJÆ Ecclesiæ, 2. Corinth. IV. 1. nec non
Ecclesiæ GALATIÆ, quas Paulus in commu-
 ni describit Gal. I. 2. Item **COLOSSENSIS &**
LAODICENA, uti colligitur ex Col. IV. 15, 16.
 Similitèr Ecclesiæ **APOSTOLORUM Act. IV.**
 Quin imò omnes Ecclesiæ **ASIÆ**, uti liquet ex
Apoc. I. 4. Eodem sensu & sententiæ nostræ ac-
 cedunt fulgidissima Ecclesiæ sidera. **CYPRIANUS** de unitate Ecclesiæ fol. m. 118. *in domo Dei, in*
Ecclesia Christi UNANIMES habitant, CONCORDES
& SIMPLICES perseverant, idcirco & in COLUMBA
venit Spiritus Sanctus. Simplex animal & letum est, non
felle AMARUM, non morsibus SÆVUM, non ungviu-
taceratione VIOLENTUM: hospitia humana diligere, unius
domus consortium nosse, cum generant simul filios edere, cum
commeant volatibus in vicem cohærere, communī conversatione
vitam suam degere, oris osculō concordiam PACIS agnoscere,
legem circa omnia unanimatis implere. Hæc est in Ecclesia
noscenda simplicitas, hæc CHARITAS obtainenda; ut CO-
LUMBAS dilectio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo & le-
nitas AGNIS & OVIBUS coæquetur. Quid facit in
pectore Christiano LUPORUM feritas? & CANUM ra-
bies? & venenum lethale SERPENTUM? & cruenta se-
vitia

vitia BESTIARUM. Et multis interjectis pag. 18;
Facem Christus nobis dedit: CONCORDES atque UNANIMES esse præcepit: dilectionis & charitatis fædera incorrupta atque inviolata servari mandavit: exhibere se non potest martyrem, qui FRATERNAM non tenuit CHARITATEM. Augustinus Lib. II. contra Literas Petilianis Cap. LXXVII. teneamus CHARITATEM, sine qua & cum sacramentis & cum fide nihil sumus, tenemus autem CHARITATEM, si amplectimur unitatem, amplectimur autem unitatem si eam non per verba nostra in parte confingimus, sed per verba Christi in universo orbe cognoscimus. Et Epistola XLVIII. ad Vincentium fol. m. 187. Consulantur ex superabundanti HIERONYMUS in I. Caput. Proverbiorum. AMBROSIUS Lib. III. de Officiis Cap. III. CHRYSOSTOMUS. Hom. IX. in Cap. IV. Ephes.

§. XIV.

Regeres, si vinculum pacis ad conservandam Unitatem Ecclesiæ summè necessarium, quare Christus dicit? *Ne igitur existimate, quod venerim ad mittendam PACEM super terram, non veni emittere PACEM, sed GLADIUM.* Veni enim ad dissidendum hominem contra patrem ipsius, et filiam contra matrem ipsius, et nurum contra sororum ipsius, Matth. X. 34, 35. Et Luc. XII; 51, 52, 53. Pautisne, quod ad pacem advenerim dandam interra? Non dico vobis, sed divisionem. Erunt namque ex nunc quinque in domo una divisi, tres contra duos, & duo contra tres. Dividetur Pater contra Filium & filius contra Patrem; mater contra fili-

D 2

am,

am, & filia contra Matrem, Socrus contra nurum suam, &
 nurus contra Socrum suam. Idem nobis objicit R. ISAAC
 Filius Abrahami in Chissuk Emunah. seu Muninirne
 fidei, Part. II. Num. XIII. fol. m. 403. Hic Nebulo
 post verba Christi ex Matthæo & Luca citata, mo-
 doque à nobis recitata, nefariè tandem subinfert,
Christum eō ipsō quod dixerit, *se non venisse ad immit-
 tendam terris pacem, sed tantum ad immitendum gladium,*
 simul significasse, quod non fuerit verus Messias, quia
 de Messia expectato ait ZACHARIAS Cap. IX.
Et eloquetur pacem Gentibus, &c. Deque illius ævo scri-
 ptum apud Esaiam Cap. II. *Non efferet Gens adversus
 Gentem gladium &c.* Quod iisdem verbis repetit Mi-
 chæas Cap. IV. Quin et illa verba, quibus dixit, *se
 venisse ut sejungeret filium à Patre, &c.* similitèr te-
 stari, ipsum non fuisse Messiam. Tempore enim
 Messiae exspectati aderit Elias Propheta, de quo sub
 finem Malachiæ prædictitur: *Et convertet cor Patrum
 ad filios & Cor filiorum ad Patres ipsorum.* Hæc ille. Sed
 salva & inconcussa res, si observemus *esse PACEM
 DEI exsuperantem omnem intellectum*, Philipp. IV. 7.
 quam Christus nobis suâ passione & morte acquisi-
 vit: estque **PAX SUPRA NOS**, quia nos Patri suo
 reconciliavit, Rom. V. 1. **PAX INFRA NOS**,
 quia nihil nunc damnationis est in iis, qui sunt in
Christo Jesu, Rom. VIII. 1. **PAX INTRA NOS**,
 cùm conscientiam pacatam & tranquillam habemus,
sanguine Christi à peccatis abluti & mundati, 1. Joh. I. Apoc. I. & denique **PAX CIRCA NOS**, quia eam
 in

in membris suis per Spiritum S. operatur, eaque sic
 conjungit, ut sub uno Capite, cor & anima una, i-
 dem velint, sentiant, & fateantur. Et de hâc pace
 Prophetæ pacificum Messiæ regimen descripturi in
 suis loqvuntur vaticiniis. Præter hanc pacem San-
 etissimam, & pax datur TERRENA, MALA, PER-
 NICIOSA, homines à Deo abducens, quam filii hu-
 jus seculi magnifaciunt & seqvuntur, qualis est pax
 eorum, qui regnum Christi veramque Evangelii do-
 trinam omnibus viribus suppressimunt, sufflaminant,
 jugumque Christi svave ad extinguendam cœlestem
 verbi Dei lucem excutiunt, qualis etiam est prædo-
 num, furum, latronum, scortatorum, adulterorum
 & aliorum, qui *iniquitatem funibus vanitatis attrabunt*,
quorumque peccatum est sicut funis currus, Esa. V. 18. E-
 quidem hæc pax propriè & corān Deo pax dici non
 meretur, *non est pax impiis dicit Dominus*, Esa. XLVIII.
 22. & LVII. 21. Veruntamēn quia impii & flagitosi
 hujusmodi consensum ad malum pacem vocare fo-
 lent, salvator noster se eorum captui accommo-
 dans, talem pacem mittere negat. Notanter insuper
 addens IN TERRAM, hoc & non aliud genus
 pacis hic intelligendum indicaturus. Neque sensus
 locorum ex Matthæo & Luca paulò ante citatorum,
 quasi Redemptor in mundum venerit, ut Christiani
 proscriptâ omni pace se invicem odiô prosequerentur,
 contrarium enim ex allegatis aliisque Scripturæ te-
 stimoniis audivimus; multò minùs eum causam esse
 rixarum dissensionumque. Nam *contentiones ire, dis-*

sidia, inimicitiae sunt gravia peccata & opera carnis, Gal. V. 20.
 que Dominus odit, abominatur, detestatur & punit, Psalm.
 V. 6. 7. VII. 13. 14. Esa. LIX. 2. sed hoc potius volunt
 verba prædicta, sævissimas imposterum prædicatio-
 nem Evangelii comitaturas persecutio-nes; disidia
 acerbissima inter Parentes quoque & liberos, qui sum-
 ma animorum conjunctione inter se vivere debe-
 rent, excitanda; aliis auditō Evangelio, credituris,
 aliis verò illud, ut hæresin abominandam, non solum
 rejecturis, verùm etiam oves Christi instar luporum
 crudelissimè adorituris, dissipaturis, dilaniaturis ac
 è medio sublaturis. Quæ turbæ ex verbi Dei præ-
 dicatione ortæ, non ipsi *EVANGELIO*, quod in se est
 potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. I. 16. Odor
 vite ad vitam, 2. Cor. II. 16. verbumvitæ quod animas no-
 stras salvas facere potest, Jacob. I. 21. sed *INCREDULIS*
 & *INFIDELIBUS*, quorum sensus Deus hujus seculi ex-
 cœavit, ut non splendent illis illuminatio *Evangelii Glorie*
Christi, qui est imago Patris, 2. Corinth. IV. 4. tribuendæ.

§. XV.

UNA est ECCLESIA, quia unum habet FUN-
 DAMENTUM, cui superstructa est, Jesum Christum
 1. Cor. III:11. Θεμέλιον γὰρ ἄλλον δύος δύναται θεῖον παρὰ τὸ
 κείμενον, ὃς εἰς Ἰησοῦν ὁ χριστός. fundamentum aliud nemo
 potest ponere, præter positum, quod est Jesus Christus, E-
 phes. II. 20. Εποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμέλιῳ τῶν απο-
 στόλων καὶ προφητῶν, ὅντος ἀκρογωνιῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, super-
 edificati super fundamento Apostolorum & Prophetarum cuius
 est

est lapis angularis *Iesus Christus*. Fundamentum Apostolorum & Prophetarum est Christus; hoc fundamen-
tum sancti Dei homines *ὑπὸ πνευματος αγίου Φερό-
μενος* 2. Petr. I. 21. posuerunt, prædicandô Christum;
sic ut sensus sit; superstructi estis super Christum,
fundamentum Ecclesiæ quod Apostoli & Prophetæ,
illi Evangelium de Christo exhibito prædicandô, hi
testimonium Salvatori in carnem venturo perhiben-
dô, Act. X. 43. posuere. Ita nobiscum sentit **ÆGIDIUS HUNNIUS** ad h. l. Tom. IV. Operum fol.
m. 536. Ita **ANSHELMUS** ad h. l. ita **PRIMASIUS** ad h. l. Tom. VI. Bibl. M. Patrum. Parte II.
fol. m. 88. *Hoc fundamentum Apostolorum*, inquit, &
Prophetarum Christus est, qui etiam lapis dicitur angularis:
ut scriptum est: *Lapidem quem reprobarunt edificantes, duos
parietes conjungens & continens.* Et fundamentum autem
& summus, quia in ipso & fundatur & consummatur Eccle-
sia. Sed quid? nonne ipsi Apostoli & Prophetæ sunt
fundamentum? sic enim Johannes Apoc. XX: 2. vi-
dens sanctam civitatem, Jerusalem novam, descendenter de
cœlo, id est Ecclesiam Christi, vers. XIV. subdit. & murus
civitatis habens **FUNDAMENTA DUODECIM**, & in
ipsis nomina **DUODECIM** Apostolorum agni. Verum
Apostoli & Prophetæ non dicuntur fundamentum
respectu PERSONÆ, sed DOCTRINÆ suæ,
quæ cum doctrina Christi semper convenit; atque sic
in rei veritate Christus atque Apostoli non nisi unum
fundamentum sunt Ecclesiæ. Ipsi enim *testes sunt præ-
delecti sermonum operumque Christi*, Act. I. 8. *A quo que-
audi-*

audiverunt, aliis præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ, dicente IRENÆO advers. Hæreses. Lib. III. Cap. I. Quam ob causam AUGUSTINUS Christum *fundamentum* *fundamentorum* appellat in Enarrat: Psalm. LXXXVI. Tom. VIII. Oper: fol. m. 956. in princ: Apostolorum nimirum atque Prophetarum, quia nec ipsi Apostoli neque Prophetæ, in quibus fundamentum est Ecclesiæ, fætenerent in se; Christus autem solus se ipsô consistit, continetque quicquid pertinet ad fabricam Ecclesiæ, verba ejus hæc sunt: *Nam ut noveritis, quia fundatum Christus & primum & maximum: Fundamentum, inquit, Apostolus, nemo potest ponere præter id quod positum est, Christus Jesus.* *Quomodo ergo fundamenta Prophetæ & Apostoli? Et quomodo fundamentum Christus Jesus, quo ulterius nihil est?* Adhæc multis interjectis tandem fol. 957. ante medium ita respondet: *Sunt fundamenta Apostoli et Prophetæ? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portæ? Quia per ipsos intramus ad regnum Dei: prædicant enim nobis. Et cum per ipsos intramus, per Christum intramus Ipse est enim janua. Et cum dicuntur duodecim portæ Hierusalem & una porta Christus, & duodecim portæ Christus: quia in duodecim portis Christus. Et ideo duodenarius numerus Apostolorum.* AMBROSIUS ad h. l. Tom. III. Oper. fol. m. 498. super edificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum hoc est supra novum & vetus Testamentum collocati. *Quod enim postoli prædicaverunt, Prophetæ futuri*

rum

futurum dixerunt - - Prophetæ disposuerunt, Apostoli
fundamenta jecerunt. Gemina his habent THEOPHY-
LACTUS ad h. l. fol. m. 421. OECUMENIUS
ad h. l. Tom. II. Oper. fol. m. 22. Conf. BALDUINI
Comment. in h. l. fol. m. 887, 889. GERHARDI
Conf. Cathol. Lib. II. Artic. III. Cap. I. fol. m. 530. &
Cap. II. fol. m. 536. Et in loco de Ecclesia Num. 135.
fol. m. 323. WALATHERI Harmon. Bibl. ad h. l.
fol. m. 1179 FRIDLIBII Theolog. Exeg. N. T.
ad h. l. fol. m. 525. PRUCKNERI Vindiciæ Bibl.
N. T. ad h. l. fol. m. 529. GATAKERI Cinni, si-
vè advers. Miscell. Lib. II. Cap. XX. fol. m. 390.
CHAMEIER tomô II. Panst. Cathol. Lib. II. Cap.
§. 2. XXI, XXIII. fol. m. 194.

§. XVI.

Quemadmodum autem Christus θεμέλιον funda-
mentum: sic quoque ἀπρογωνίαῖς lapis angularis Ephes. II.
20. Ecclesiæ unæ. Respicit Apostolus hâc denominatio-
ne ad Esa. XXVIII. 16. ubi Propheta scribit; לֹכֶן כִּי אָמַר
אֱלֹהִים יְהוָה הָנָנִי יִסְרָאֵל בְּצִיּוֹן אֲבִן אֲבִן בְּחַרְבָּה פָּנָת יִקְרָת מָוסֵר.
Quæ VULGAT. INTERP. ita reddidit: ecce ego
mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, an-
gularem, pretiosum, in fundamento fundatum. LXX Interp.
ἰδὲ εἴγε ἐμβάλλω εἰς τὰ θεμέλια Σιὼν λίθον πολυτιμῆ, ἐκλεκ-
τὸν, ἀπρογωνίαῖον, ἔντιμον, εἰς τὰ θεμέλια αὐτῆς, ecce ego
immittam in fundamento Sion lapidem pretiosum, electum,
summum angularem, honorabilem in fundamenta ejus. ST-
RUS: ecce ego firmaturus sum in Sion lapidem, lapidem pro-
batum,

E

batum,

batum, in angulo pretioso, caput, parietis fundamentalis:
ARABS: Ecce ego ponam in fundamentis Sionis lapidem
 summi pretii, electum, in capite anguli, venerandum in fun-
 damentis ejus. Item ad Psalm. CXVIII. 22. אָבוֹ מַאֲסֵוּ הַבּוֹנִים הָיְתָה לְרָאשׁ פְּנוּחָה Lapis, quem rejecerunt Ar-
 chitecti, factus est in Caput anguli. Lapidem hunc an-
 gularem Salvatorem nostrum esse, eluscescit ex Matth.
 Cap. XXI. 42. A&t. IV. II. I. Petr. II. 7. Si quæras,
 cur lapis angularis dicitur, qui parietem utrumque
 committit & continet, quiqve maximus & firmissi-
 mus esse solet? Responsio adhæc facilis, quia funda-
 mentum est Ecclesiæ, duosque populos J U D Æ O S
 scil. et G E N T E S in unam Ecclesiam per fidem u-
 nam conjungit: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex am-*
bobus unum & intergerini parietis septum solvit, Ephes. II.
 14. Epiphanius. Hæresi. LXIX. fol. m. 324. lapis est,
 inquit, *angularis, qvia conjunxit et constrinxit Vetus et Novum*
Testamentum, circumcisionem & præputium in unam conjuncti-
onem. Oecumenius ad l. cit. Petri, fol. m. 148. lapis
angularis, Christus, qui duos parietes, paternam domum per-
ficientes, nimirum Gentes & Judeos suò attractu conjungit, et
in unam coagmentatam structuram constringit. &c. Conf.
CYRILLUS ALEXANDRINUS ad locum
 citatum Esaiæ fol. m. 398. **THEODORETUS**
 ad h. l. Tom. II. Operuin fol. m. 83. **ISIDORUS**
PELUSIOT A Epist. 494. lib. I. fol. m. 125. aliique
 plures passim.

§. XVII.

UNA tandem est **ECCLESIA**, quia unum
 habet

habet CAPUT, JESUM CHRISTUM, Ephes.
 I. 22. *Et omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiae, quae est corpus ipsius, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpleret.* Et Cap. IV. 16. nec non Cap. V. 22. Item Coloss. I. 17. *Christus est caput corporis, i.e. Ecclesiae.* Consulenda jam nobis sunt paucis Scripta Patrum, ut ex iis cognoscamus, quō sensū *Christus caput Ecclesiae, Ecclesiaque corpus Christi dicatur.*
THEODORETUS ad Cap. I. Ephes. **CHRISTUS Dominus obtinet locum CAPITIS, qui autem in ipsum credunt corporis.** **HIERONYMUS** ad Caput I. Coloss. **CHRISTUS est CAPUT corporis, Ecclesiae, quia omnes credentes ejus MEMBRA sunt.** - - - *Christus omnium Caput est & Dominus.* Et ad Cap. I. Coloss. *Ecclesiae caput est solus Christus:* **PRIMASIUS** ad Cap. I. Ephes. fol. m. 87. *Christus CAPUT Ecclesiae est, omnium plenitudo membrorum.* Adhac legantur **AMBROSIUS** ad Cap. I. Ephes. fol. m. 495. **CHRYSTOMUS** Homil. XXX. in I. ad Corinth. XI. 12. **BEDA** ad Cap. I. Ephes. 566. Idem ad caput I. Col. fol. m. 651. **THEOPHYLACTUS** ad Cap. I. Ephes. fol. m. 509. **TERTULLIANUS** in lib. de Fuga in Persecut. Cap. XIII. Conf. ejus Liber V. contra Marcionem Cap. XVIII. ubi locum Ephes. V. 22. de Christo Ecclesiæ Capite præclarè explicat. **OPTATUS MILEVITANUS** lib. III. contra Parmenianum. Agmen claudat **GREGORIUS M.** Lib. IV. Epist. XXXVIII. ad Johannem Constantin. Episcopum. Ex adductis itaq; Patrum testimoniis clarum esse putamus, Ecclesiam dici unam,

E 2

quia

quia unum & solum Christum habet caput, cuius capitum omnes, quotquot sunt, & dantur credentes, esse membra. Et hæc quām optimē cum Scriptura Sacra conveniunt, in qua ita Christus Caput Ecclesiæ appellatur, ut nullum aliud præter eum detur Caput, omnesque quotquot sunt in Ecclesia, unius corporis dicantur membra. *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra,* Rom. XII. 5. & I. Cor. XII, 12.

§. XVIII.

At Pontificii hōc capite non contenti, aliud sibi fingunt somniantq; Ecclesiæ CAPUT MONARCHICUM, Pontifici Romano summum in spiritu alibus Ecclesiasticisq; in persona Petri à Salvatore nostro collatum Dominum, afferendō, quemadmodum BELLARMINUS, PETRUS à SOTO, ALPHONSUS MENDOZA, JODOCUS COCCIUS, NICOLAUS SANDERUS, ABRAHAMUS BZOVIUS, BARONIUS, aliique curiæ Romanæ Parasiti acriter disputant. Hisce addi potest *Fr. Panigarola* productus à B. Dorfshæo in Anti-Kirhero fol. 126. ubi inter alia Italus ille blasphemat: Ecclesiæ unum Dominum non posse esse vel Deum, vel Christum. Si foret DEUS, necesse esse, ut vera Ecclesia sit *Christianorum, Ebraeorum & Turcarum* simul, qvia hi omnes habeant UNUM caput DEUM, si foret CHRISTUS, necesse esse, ut vera Ecclesia sit *Arrianorum, Macedonianorum, Manicheorum & Pelagianorum*.

Pelagianorum, quia hi omnes confiteantur unum Christum. Adeoque tandem concludit, ut Ecclesia vera sit, necesse esse, ut P A P A sit C A P U T . Existimat igitur nebulo iste veræ Ecclesiæ caput esse solum Papam: Hæreticæ vero Ecclesiæ esse Christum. Sed ab apostolos nos Satana! te increpet Deus! Merito hujus furoris hominibus illis respondemus verbis, quibus Augustinus Donatistas alloquitur, lib. de Unitate Ecclesiæ cap. VI. *legite nobis hoc, Papistæ, vos & Hyperaspistæ Romanæ, de Lege, de Prophetis, de Psalmis, de ipso Evangelio, de Apostolicis literis, legite & credemus.*

§. XIX.

Et quâ, quæso, ratione Pontifex Romanus Caput Ecclesiæ esse potest, cum illius corpus non sit Ecclesia, sed CHRISTI, cuius solius corpus & est, & erit, & manebit, prout modò ex scripturâ & Patribus audivimus? dictum paulò ante, Ecclesiæ regimen in terris esse *Monarchicum* respectu Christi, qui ejus est caput: nullum autem Regimen Monarchicum, cuius existit caput, aliud quoddam admittit caput. *Μοναρχία ἐστὶ κατὰ τὴν οὐρανοῦ. εἰν ἡγεμονίᾳ απότων κύριος ἐστιν,* inquit Arist. lib. I. Rethor. Cap. VIII. Nec fieri potest, ut regimen aliquod sit Monarchicum, id est, ab uno administretur, & tamen, duo ejus sint capita. Dantur equidem in regno *coadjutores* capitum, sed illi non sunt *capita* totius regni; Proreges seu Vicarii Regis in provinciis singulis constituti, in suis tantum territoriis rationem capitum habent, non verò in totô regno, in quo unum solummodo caput Rex est, si

E 3

Monar-

Monarchia sit, à quo omnes & singuli, tūm adjutores capitis, tūm vicarii Regis dependent, jussuque ejus in subditos dominium exercent. Est Ecclesia similis corpori humano benè constituto, non *monstroso*, at tale non habet duo capita, unum *summum*, alterum *subordinatum*, sicuti una Sponsa Cantic. VI. 8. non potest habere duos sponsos, nisi sit adultera. Quō ipsō exceptio Bellarmini in *Caput Primarium* & *secundarium*, *subordinatum* & *ministeriale*, qvale Pontificem Romanum facit, corruīt. Neqve majoris momenti est distinctio in caput *visibile* & *invisibile* Ecclesie; sic ut Christus sit Caput *invisibile*, Pontifex Romanus *visibile*. Ignorat eam Scriptura Sacra, neqve visibili indiget Capite Ecclesia, quia Christus est omniscius, & Ecclesie suæ semper præsens, Matth. XXIX. 20. Habet Spiritum Sanctum, quem vicarium sibi Dominus substituit, visibilem suam subtrahens præsentiam, qui eam docet, consolatur, & in omnem veritatem ducit, Joh. XIV, 26. Cap. XVI. 13. Unde TER TULLIANUS eam appellat, *vicariam vim Spiritus S.* in lib. de Præscript. adv. Hæret. itemqve *Vicarium Domini*, in lib. de velandis virginibus,

§. XIX.

Alio proinde Vicariō Christi, qvalem Pontificem Romanum constituunt, opus non habet, quorum multi *non Christi*, sed *Diaboli* vicarii, imò incarnati fuere *Diaboli*, omnis generis scelera, flagitia, suinmamque crudelitatem exercentes; (Catalogum adulterorum, scor-

scortatorum, sodomitarum, incestorum, & rabidorum
 Tyrannorum, autor speculi Pontificum Stephanus Szegedinus, fol. m. 92. & seq. recenset;) hæreses defendantes, ut *Liberius hæresin Arrianam; Anastasius, II. Nestorianam; Vigilius Eutychianam; Honorius Monothelitarum, Sixtus III. & Alexander VII. Pelagianorum* Vid. Gerhardi Confess. Cathol. fol. m. 82. 83. & seq. Imperatores de throno dejicientes atque excommunicantes; sic Bened. IX, qui teste Platinâ, *bomo ignavus & nullius pretii, & Baronio, monstrum & portentum hominis fuit*, Henricum III. exuit imperio, missâ Petro Hungarorum Regi coronâ, cum hâc inscriptione. *Petra dedit Romam Petro; tibi Papa coronam.* Hildebrändus seu Gregorius VII. Heinricò IV. excommunicatô, coronam misit Rudolpho Ducì, hōcce lemmate notatam: *Petra dedit Petro, Petrus dia-dema Rudolpho.* Benedictus XII. ejusque successor Clemens VI. Ludovicum V. anathemate percusserunt; ultimus edictum fancivit perpetuum, *imperium esse Pa-pæ beneficium.* Innocentius III. in Ottонem IV. Cœlestinus III. in Philippum II. Paschalis II. in Heinricum V. Gregorius IX. & Innocentius IV. in Fridericum II. & Conradum IV fulmina Anathematis vibrarunt. Alexander III. Friderici I. Barbaros-sæ humi prostrati collo pedem imponens hæc pronunciavit Psalm. XCI. verba: *Super aspidem & Basili-scum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Imperator respondit, *non tibi sed Petro, Papa regessit, & mihi & Petro,* vid. Sigebertus Gemblacensi. Otto Frying;

sing: Monachus Paduanus, M. Alberti Argentin. Chronicon, Gerhardi Præfatio, qvam præmisit Confess. Cathol. Lib. II. Spec. Parte. I. fol. m. 336. & seq. Dieterici Breviarium Pontific. Romanor. aliique plures. Tandem nec illi negligendi, qui sedem Romanam per media illegitima & injusta occuparunt, modò per Simoniacam largitionem, ut Sergius, Honorius II. Formosus I. Johann IX. Gregorius V. Alexander VI. sylvester III. Benedictus IV. Sergius III. Gregorius VII. &c. modò per vim & factiones, ut Damasus, Sylverius, Vigilius I. Johannes XIII. Benedictus V. Damasus II. Victor X. &c. modò per fraudes ac dolos, ut Gregorius VI. & VII. Johannes XXIV. Bonifacius VIII. de qvo proverbium: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis*, ut Wernerus Rolwinck in Faſc. tempor. refert. modò per artes Magicas, ut Martinus II. Bonifacius VII. Sylvester II. Benedictus IX. &c. Benno Cardinalis de vita Hildebrandi refert, qvod quinque Pape, Sylvester II. Benedictus IX. Johannes XX. & XXI. Gregorius VII. se totos consecrarint Satanae, ut ad hanc sedem eveherentur. Egregii sanè Vicarii Christi! vide Platinam de vitis Pontificum ejusque Continuatorem Onuphrium Panvinium. Gerhardi Confess. Cathol. de successione, in sede Petri fol. m. 558. & seq. Dieterici Breviarium Pontific. Romanor. aliosqve.

§. XX.

Visibile Caput Ecclesiæ universæ Pontificem esse
Roma-

Romanum, hactenus solide, clare ac perspicue testimo*n*iis, ex Scriptura S. unica & sola norma fidei atque controversiarum desumptis, evincere non potuerunt. Urgent equidem Pontificii pro PRIMATU Petri, ejusque successoris unici & legitimi Pontificis Romani inter alia, PETRAM, CLAVES, PASCE, Matth. XVI. Joh. 16, 17. Sed ad ea satis responsum, non solùm à Theologis Lutberanis, Gerhardo, Heilbrunnero, Eckardo, &c. Et Reformatis, Chamierô, Witakerô, Forbesiô, Molinæô, &c. Verum ab ipsis etiam Pontificiis, Launojo Part. II. Epist. V. fol. m. 136. & seq. ubi ex Antiquitate clarum facit: *claves regni cælorum toti Ecclesiæ in persona PETRI esse datas.* Parte verò V. Epist. VII. fol. m. 419. & seq. quatuor hujus loci: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiæ meam*, adducit expositiones, exqve nulla Primitum Petri, Romanivè Pontificis inferri posse docet. Et Parte II. Epist. I. fol. m. 90. & seq. pag. 136. 437. 438. probat ex Patribus hæc verba: *Pasce oves meas*, non de solo Petro, sed de omnibus *Pastoribus* intelligenda. Launoji vestigia legit Du-Pin de antiqua Ecclesiæ disciplina dissert. IV. fol. m. 304. & seq. ut & pag. 309. & 310. quæ tamen loca prolixissima, brevitatis causa omittimus, ad ipsissimam tamen autoris hujus delicati lectionem B. L. remittentes. Agendum idcirco hic esset de statu primitivæ Ecclesiæ, atque ex historia Ecclesiastica per omnia secula diducendum: *Monarchicum Pontificis Romani imperium testimoniò Ecclesiæ prisca destituti*, sed quia hunc laborem Centuriatores Magdeburgenses,

F

Au-

Autor Catalogi testium veritatis, Marcus Antonius de Dominis in lib. de Republ. Eccles. Forbesius in Instructionibus Historico-Theol. Spanheimius in Historia Ecclesiastica, Molinæus in Novitate Papismi, Vitakerus Tom. II. Oper. Edmundus Richerius in historia Conciliorum Generalium, quatuor libris comprehensa, Du-Pin librō modō citatō, Johannes Gerbasius in dissertatione de causis majoribus, aliique plures ante nos eruditione suā atque industriā exantarunt, hinc benevolum lectorem ad hosce remittimus fontes.

§. XXII.

Siccō interim heīc duo præterire non possumus pede. Primum est, seculo IV. tempore Concilii Nicenī Jurisdictionem Pontificis Romani eertis provinciarum regionumque limitibus circumscriptam fuisse in Ecclesiasticis. Certiores nos de eo reddit Concilii hujus primi Oecumenici CANON sextus, qv itom. II. Concilior: LABBEI & COSSARTII fol. m. 31. Lutet. Paris. 1671. Græcē verò ita legitur. τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατεῖτω, τὰ ἐν Λιγύπτῳ καὶ λίβυῃ καὶ πενταπόλει, ὡςε τὸν Ἀλεξανδρεῖας ἐπίσκοπον πάντων τῶν ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. ἐπειδὲν καὶ τῷ ἐν τῇ Ρώμῃ ἐπίσκοπῷ τῷτο συνηθέσται. οἵμοις δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς εκκλησίαις. qvæ Gentianus Hervetus ita transtulit, *Antiqvi mores serventur, qvi sunt in Aegypto, Libya & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem & Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter & in Antiochia & in aliis provinciis sua privilegia ac sue dignita-*

gnitates & auctoritates Ecclesiis serventur. Canonis hu-jus simplicissimus hic est sensus: Quô jure Episco-pus Romanus Ecclesias sibi subjectas gubernat, eô-dem Alexandrinus & Antiochenus Ecclesiis sibi sub-jectis præesse debent. Et Patres Nicæni hic ex noto ignotum, & ex minimè controversô, controversum inferunt. Cùm enim MELETIUS Episcopo Alexan-drino se opponeret, ordinationesq; per totam Thebai-dem & Ægyptum contra voluntatem ejus & consue-tudinem antiquam faceret, Patres Nicæni, huic malo obviam eentes, decernebant tûm *ex consuetudine*, antiqua, tûm *ex more usitato Romanæ Ecclesiæ*, cui nemo tûm litem movebat, de suo jure ordinationes in Ægypto, Libya & Pentapoli ab Episcopo Alexan-drino peragendas, testibus *Socrate lib. I. H. E. Cap. X.* *Sozomeno lib. I. H. E. Cap. XXIV.* *Epiphaniò Hæres. LXVIII. Num 3.* *Theodoretò Fab. Hæretic. Lib. IV.* *Cap. VII.* & *Lib. I. H. E. Cap. IX.*

§. XXII.

Eôdem seculô, Anno LXXXI. sub Theodosio Se-niore celebrabatur Concilium Constantinopolitanum I. Oecumenicum verò II. in eo æqualia jura ac privilegia Constantinopolitano Episcopo cum Romano tribue-bantur Canone III, qyi ita sonat: *Constantinopolitane ci-vitatis Episcopum habere oportet PRIMATUS honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma.* Idem refert Socrates in descriptione ejusdem Concilii Lib. V. H. E. cap. VIII. *eodem tempore, inquit, decretum fuit,*

ut Episcopus Constantinopolitanus proximè & secundum Episcopum Romanum PRIMAS propterea obtineret, quod illa civitas nova Roma esset appellata. Gemina his occurruunt apud Sozomenum Lib. VII. H.E. cap. IX. Idem hic Canon in Concilio Oecum. IV. Chalcedonensi, ut & Concilio Oecumenio VI. Constantinopolitano III. Trullanò vulgò appellatō, publicâ authoritate Patrum fuit consignatus. In isto CANON XXVIII. hunc in modum legitur: *Ubique S. S. Patrum definitiones sequentes & Canones, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Deo amantissimorum Episcoporum, qui congregati sunt sub pia memoria Imperatore Theodosio Magno in regia civitate Constantinopoli, novā Romā agnoscētes; eadem quoque & nos definimus & statuimus de privilegiis ejusdem sanctissime Constantinopolitane Ecclesiae novae Romae. Etenim sedi senioris Romae, quod urbs illa imperaret, Patres jure privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi Episcopi, & QUALIA PRIVILEGIA tribuerunt sanctissima sedi novae Romae, rectè judicantes, urbem, quae & imperio & senatu honorata sit, & equalibus privilegiis cum seniore Regia Roma fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis, non sēcūs ac illa extolli ac magnificari, SECUNDAM post illam existentem.* Hujus verò CANON XXXVI. hisce concipitur verbis: *Renovantes, que à sanctis & quinquaginta Patribus constituta sunt, qui in hac Dei observatrice & Regia Urbe convenerunt, & sexcentorum & triginta, qui Chalcedone venerant, decernimus, ut Thronus Constantinopolitanus & QUALIA PRIVILEGIA cum antiqua Romæ throno obtineat, & in Ecclesiasticis, ut ille magnificat, ut qui sit secundus post illum.*

Post

Post quem magna Alexandrinorum civitatis numeratur thronus, deinde Antiochiae, & post eum Hierosolymae civitatis. Quomodo autem Patres Concilii Constantinopolitani, Constantinopolitanæ Ecclesiæ æqualia jura ac privilegia cum Romana conferre potuissent, si jam tempore Concilii Nicæni Monarchicum in Ecclesiam Christi Præfus Romanus exercuisset imperium? Necessariò proinde dicendum, PRIMATUM istâ præprimis ætate, potestatis atque jurisdictionis Romanæ Ecclesiæ, sanctis Patribus fuisse incognitum, quod Canon etiam modò vult adductus Concilii Nicæni sextus.

§. XXIV.

Ita & non aliter eum intellexere Balsamon, Zonaras, Alex. Arist. in suis Commentar. ad hunc Canonem fol. m. 66, 67. (quorum Scholia Doctissimus Anglus Beveregius in suo synodico, sive Pandectis Canonum Oxonii. 1672. exhibit. Josephus Ægyptius in Paraphrasi Arabica Canon. Nicæn. fol. m. 691. in fine Tom. II. Synodici:) Dionysius Exiguus, Isidorus Mercator, Ruffinus Tom. II. Concilior. fol. m. 40, 41, 46, 55. quorum ultimus hujus Canonis sensum hisce expressit verbis: *& ut apud Alexandriam, & in urbe Roma, vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Egypti, vel hic suburbicarium Ecclesiarum solitudinem gerat.* Cum Ruffino facit versio illa omnium antiquissima, quam Pontificii magnificiunt, secundum eam pronunciant Patres Nicæni, *antiqui moris esse, ut urbis*

Rome Episcopus suburbicaria loca, & omnem Provinciam suam
 sollicitudine gubernet, &c. Ecclesiæ suburbicariæ sine
 dubio vocantur illæ, quæ provinciis suburbicariis con-
 tinebantur. Provinciæ autem suburbicariæ aliæ dici
 non possunt, quâm illæ, quæ circa Romanam, quæ id
 temporis *κατ' έξοχήν* URBS erat, adjacebant, & procul
 dissitis ab urbe regionibus, ut Africæ, Galliæ & Hi-
 spaniæ opponebantur. Eæ igitur provinciæ omnes,
 quæ Vicario urbis Romæ parebant, *provinciæ suburbici-
 carie* autoribus vulgo audiunt, suntque 1. Cam-
 pania 2. Hettruria & Umbria, 3. Picenum suburbica-
 rium. 4. Sicilia, 5. Apulia, & Calabria 6. Lucania &
 Brutia, 7. Samnium, 8. Sardinia 9. Corsica. 10.
 Valeria. In vicariatu Italiæ, cuius caput Mediola-
 num, septem erant Provinciæ 1. Liguria, 2. Æmi-
 lia 3. Flaminia seu Picenum Annonarium, 4. Ve-
 netia, cui juncta postea Istria. 5. Alpes Cottiæ, & u-
 traqve Rhetia. Hanc partem Italiæ Seculo IV E-
 pis copum Romanum non gubernasse, agnoscit Petrus
 de Marca de Conc. Imperii &c. Lib. I. cap. VI. & VII.
 Et Lib. VI. cap. IV. Plura qui de hoc Canone legere
 volunt, evolvant Du-Pin de antiqua Ecclesiæ dis-
 ciplina dissert. Hist. I. §. ult. fol. m. 83. & seq. Edmun-
 di Richerii Histor. Concil. General. Lib. I. cap. I. §.
 XI. fol. m. 49. & seq. Beveregii Annotat. ad hunc
 Canonem tom. II. Synodici, Marcum Antonium de
 Dominis, de Republ. Ecclesias. Lib. IV. Cap. II. §.
 XIII. fol. m. 362. & seq. Spanhemii Geograph. Sa-
 cram. fol. m. 130. & seq. tom. I. operum. Et Lib. IV.
 Miscel-

Miscellan. sacræ Antiquitat. Disserat. I. tomo II. operum fol. m. 440. & seq. Nec non tractatum illius peculiarem de Canone VI. Nicæni luculentissimum.

§. XXV.

Ultimum est, *Pontificem Romanum subjectum esse Concilio*, quia summa Potestas Ecclesiastica, quæ in clavisibus consistit, primò ac principaliter toti universæ Ecclesiæ, cuius personam tūm Petrus, cūm Christus ipse claves committeret, gesit, in persona Petri est data, Matth. XVI. Id unō afferunt ore VETERES, Tertullianus, Cyprianus, Optatus Milevitanus, Basilius Magnus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alexand: Leo M. Fulgentius, Eucherius Lugdun. Gregorius M. Beda aliisque plures, quos citant Launojus in Epist. X. fol. m. 419. & seq. & Du-Pin lib: cit. fol. m. 380. & seq. Insuper Ecclesia est unum quoddam corpus Christi mysticum, cuius Papa est membrum, ergo est minor suō totō, qvod est Ecclesia. Et nonne Ecclesia potestatem clavium immediate à Domino acceptam per ministros suos, in quorum censu Pontifex quoque invenitur Romanus, exercet & administrat? Quomodo ergo Pontificis major, quam Ecclesiæ vel Concilii authoritas? Quoties in Ecclesia majores ac graviores controversiae sunt exortæ, toties congregata semper fuere Concilia. Quid autem necesse fuisset ea congregari, si solius Pontificis Romani authoritas, authoritatem Concilii superasset? Hinc ipsis Pontificibus Romanis adeo

per-

persuasum fuit Concilii authoritatem suâ majorem esse, ut ultrò ipsi Concilia desiderarint, tanquam ad dirimendas controversias necessaria, suaque judicia in illis retractari postularint, aut saltem passi fuerint. Ipsi fatentur: se Conciliis Canonibusque subjectos esse, nec posse se illos infringere, aut pro libitu in iis quicquam immutare. Vide Launojum Parte I. Epist. VII. fol. m. 34. & seq. ubi fusè docet, Romanum Pontificem Concilio, & sacris Canonibus subjectum esse, testimoniosis Romanorum Pontificum hanc in rem adductis. Epist. verò X. fol. m. 61. & seq. Academiarum & Theologorum afferunt authoritates, qui eandem nobiscum doctrinam defenderunt; Ex Academiis sunt PARISINA, CRA- COVIENSIS, COLONIENSIS, ERFURTENSIS, LOVANIENSIS. Gemina his habet parte IV. Epist. IV. fol. m. 298. & seq. ubi magna nubem Theologorum autoritatem Conciliorum supra Papam extollentium, adducit. Parte III. Epist. III. fol. m. 175. & seq. LXII. Romanorum Pontificum producuntur testimonia, quibus probatur, canone, non absolutâ autoritate, vel proprio motu regendam esse Ecclesiam DEI. Du-Pin librō citatō Dissert. VI. fol. m. 377. & seq. Marc. Anton. de Dominis, de Republ. Ecclesiast. Lib. IV. Cap. VIII. fol. m. 434, 435, 439, 443. Ubi canones supra Papam esse probat. In Concilio Pifano (cujus acta inveniuntur Tomo XI. Parte II. Concilior. LABBEI & COSSARTII. fol. m. 2117. & seq. & apud Edmundum Richerium Hist. Concil. General. Lib. II. Cap. II. fol. m. 64. & seq. qui XXIV. sessiones Concilii recenset,

alii XXIII.) Sess. XIII. fol. m. 2124. Magister Petrus Placul orationem elegantem habuit de Ecclesia, afferendō eam esse supra Papam. Hinc planum est, scribit Richerius ad h. l. fol. m. 93. Controversiam de Concilii supra Pontificem autoritate agitatam fuisse in hac synodo Pisana. Hic enim summa actorum defertur, quod est maxime notandum contra Bellarminum & alios, qui persuadere volunt controversiam ejusmodi synodice discussam non fuisse in Synode Pisana.

§. XXVI.

In Sess. XIV. al. XV. fol. m. 2127. Gregorius XII. & Bened. XIII. tanquam notorii schismatici & antiqui schismatis nutritores, defensores & approbatores pertinaces, nec non notorii Hæretici & à fide devii, notoriisque criminibus enormibus perjurii & violationis voti irretiti deponuntur. In sess. XIX. al. XX. fol. m. 2130. electus est in Pontificem Alexander V. In Sessione XX. al. XXI. Alexander V. omnes processus, sententias & ordinationes factas per Dominos Cardinales, & omnia gesta in concilio Generali comprobavit. Hac verò ratione etiam Concilii supra Pontificem autoritatem stabilivit Concilium Pisanum. Eodem seculō XV. Anno XIV. excepit Concilium CONSTANTIENSE, quod quasi continuatio fuit Concilii Pisani, ad abolendum Schisma inter Gregor. XII. & Benedictum XIII. Sessione IV. fol. m. 19. Tomo XII. Conciliorum definitur, quod ipsa synodus in spiritu S. congregata, legitime generale Concilium

G

cillum

cilium faciens Ecclesiam militarem representans, potestatem à Christo habeat, cui quilibet, cuiuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur, in his qua pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis & Reformationem Generalem Ecclesie Dei in Capite & in membris. Eadem repetuntur in sessione V. fol. m. 22. & additur, quemcunque etiam Pontificem, qui haic vel alteri Concilio Generati obtemperare nequit, debite pœna, nisi resipiscat, subjicendum esse.

§. XVII.

Hocce decretum probatum fuit NATIONALITER ac deinde SYNODALITER, hoc est, sejunctim, ut fiebat ab unaquaque natione, ac deinde ab universis in Synodo partibus. Sessione XII. fol. m. 96. Johannes XXII. vel XXIII. deponitur. Deinde Pontificali dignitate exuendus judicatur Gregorius XII. qui per legatum se ipsum in sessione XIV. fol. m. 103. Pontificatu abdicavit. Tandem sessione XXXVII. fol. m. 234. Benedictus XIII. omnium consensu sede Papali dejicitur. Sessione XLI. fol. m. 246, & seq. Pontificem elegerunt Ottone Columnam, & Martinum V. appellarunt. Is sessione XLV. & ultima fol. m. 258. omnia & singula decreta determinata & conclusa Concilii Constantiensis approbanit & ratificavit. Videatur quoque ejus bulla contra Errores Wicleffi, fol. m. 268. Historiam Concilii Constantiensis sex Tomis comprehensam edidit nuperrime Hermannus von der Hardt, Acad. Juliae Pre-

Profess. in iis Benevolus Lector omnia ad notitiam
hujus Concilii facientia, sufficientissimè inveniet.

§. XXVIII.

Tamen seculô eodem Anno 31. celebratum est Concilium BASILEENSE, hoc iesione II. fol. m. 477. Concilii Constantiensis decretum quartæ & quintæ sessionis de immediata Ecclesie & Concilii authoritate supra Papam confirmavit. Sessione XVI. fol. m. 528. Eugenius IV. Acta Concilii Basileensis probavit, & tres priores suas bullas revocans, ea omnia confirmavit, quæ à principio decreta fuerant usque ad sessionem decimam sextam, in qua bulla Confirmatoria Actorum Synodi continetur. Atque ita calculum suum adjecit decretis quartæ & quintæ Sessionis Synodi Constantiensis de Concilii supra Papam authoritate, quæ Basileenses in sessione II. III. & XII. roborarunt: Sessione XXXIII. fol. m. 618. denuò Concilii supra Papam autoritatem Patres confirmantes, hæreticum declarant Eugenium IV. postqvām novæ inter eum & Concilium orirentur contentiones atque dissidia de tollendo Concilio Basileensi. Sessione XXXIV. fol. m. 620. Eugenium IV. Papam, tanquām contumacem, violatorem Canonum Synodalium, unitatis Ecclesiæ perturbatorem, Simoniacum, perjurum, Schismaticum, à fide devium, jurium bonorum Ecclesiæ perditorem à Pontificatu depositum declarant. Pontificum Romanorum Gregorii XII. Benedicti XIII. • Joh. XXIII. & Eugenii IV. fata alii quoque mancipia

G 2

Diaboli

Diaboli sunt experti. Concilium Romæ ab Ottone. I. Imperatore congregatum, deposuit Johannem XII. ejusque loco elegit Leonem Ecclesiæ Romanæ Protoscrinarium, vid. GOLDASTI Tom. I. Constitut. Imper. fol. m. 217. & seq. LAUNOJI Part. IV. Epist. I. fol. m. 272. & seq. DUPIN Dissert. Hist. VI. fol. m. 399. HILDEBRANDUS alias Gregorius VII. dictus, depositus est in publico Concilio, ab Episcopis Galliæ, Germaniæ & Italiæ, Goldastus loc. cit. fol. m. 236. & seq. vid. GERHARDI Confess. Cathol. fol. m. 699, 700, & 817.

§. XXIX.

Nos itaque ex adductis colligimus, hancque æternæ veritatis formamvis conclusionem, si Pontifex Romanus subiectus est Concilio, atque ab eo deponitur, Caput Monarchicum Ecclesiæ nullò modō esse atque salutari potest, cum Concilium representet Ecclesiam. Firmam esse hanc consequentiam, fatetur ipse BELLARMINUS Lib. II. de Conciliis, Cap. XIV. & Gregor. de Valent. in Anal. Lib. VIII. Cap. VII. qui dicunt, inquit, *Concilium esse supra Papam*, illi reverè pugnant cum Primate Pontificis Romani. Firmum proinde atque fixum manet, respectu deniq; unius Capitis, Christi Jesu, non verò Pontificis Romani, unam esse, quam credimus, Ecclesiam, neq; unitati huic obstant Ecclesiarum particularium per totum terrarum orbem dispersio: nec in minus fundamentalibus dissensio: nec rituum dissimilitudo: nec cum malis & hypocritis conversatio: nec membrorum in tres Hierarchias distinctio; siquidem TOTA fidelium in hac vita multitudo est UNA Ecclesia vinculô fidei, Spiritus & charitatis, quæ post hanc vitam UNA & erit confortiô æternitatis.

ERRATA

Quæ propter interruptam nostram præsentiam hinc inde irreperere, B.L. pronata sua humanitate corrigeat & gnetur ita: Pag. 1. Lin. 5. post adv. scilicet addantur seqq. quædam scribere animu s est. ead pag. lin. 8. delectatur non & ponatur lin. 12. loco sed pag. 23. lin. 24. pro competat legat quædaret ead. pag. lin. 25. premeretur leg posst pag. 23. lin. 13. leg. Chamaier. &c. &c.

200 300

Coll. diss. A. 224, misc. 19: